

IN DEI FILIO SIBI DILECTIS PATRIBUS, AC FRATRIBUS ORDINIS FRATRUM PREDICATORUM

FR. ANTONINUS BREMOND

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOR.

Ejusdemque Ordinis universi Magister Generalis, & Servus.

Salutem, & Apostolicum spiritum.



UM eximio, atque immortalis Dei O. M. beneficio contigisse arbitremur, ut regiminis nostri primordia ab illustri, & gloriosa Fratrum nostrorum pro Christi Fide confessione auspicaremur, id unum ad faulissimum ominis, laetitiaeque nostrae cumulum fore reliquum videbatur, ut sanguine partam ab Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Fr. Petro Martyre Sans Episcopo Mauricaftrensi Ecclesiae, ac Familiae nostrae gloriam ceteri ejusdem Apostolatus Socii proprio implerent, atque amplificarent Martyrio, * ut quos vinculum confessionis, & hospitium car-

* S. Cypr. l. 2. Epist. 6.

ceris simul junxerat, jungeret etiam consummatio virtutis, & gloriae caelestis. Quo apostolicae charitatis aestu, qua votorum constantia, qua exercitatione virtutum ad supremum agonem, beataeque mortis complexum Martyres jam designati sese componerent, ex Litteris Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Fr. Francisci Serrano Episcopi Tipasitani, ac Pro-Vicarii Apostolici cumulate intelleximus. Ex ipso carcere, quo cum aliis ad necem servabatur, Episcopi Mauricaftrensis passionem, & exitum ad Nos scripsit diligentissime, tum Apostolicis sensibus, quo mortem pro Christo obeundi cum Sociis flagrabat, desiderium luculenter adeo expressit, ut in ejus verbis cor ipsum loqui videretur. Parati iam sibi operatissimi Martyrii expectatione suspensus, & anxius propriis culpis, quae ejus modestia fuit, injectam passionis moram, dilatamque sibi, ut videbatur, nondum satis parato coronam deputabat, patienter interea expectans beatam spem, & adventum gloriae magni Dei, quo se prorsus indignum praedicabat. Quae dum obortis praegaudium lacrymis legeremus, videbatur Nobis veteram Ecclesiae Martyrum fidem, constantiam, flagrantissimam charitatem, beataeque immortalitatis firmissimam spem intueri, * nec invenimus quid in eo praedicare plus deberemus gloriam vulnerum, an vere undiam morum, quod honore virtutis insignis esset, an quod pudoris admiratione laudabilis, ita & dignitate excelsus erat, & humilitate sublimis.

* S. Cypr. l. 2. Epist. 5.

Interea designatorum cum ipso Martyrum in tam illustri agone certantium diu, noctuque oberlabatur menti nostrae imago, & praesentia, ac beatissimo coram carcere, si non corpore, & vinculis, animo certe, vorisque conclusi Deum jugiter precabamur, * ni inhiis ad summa pergentibus, quos fecerat confiteri, faceret coronari. Favet meritis, & precibus suorum Militum, & Confessorum, favit expectationi nostrae divina clementia, & preconceptam ex praclarissimo Episcopi Mauricaftrensis triumpho exultationem ejusdem Sociorum palmis cumulavit. Recentioribus quippe Litteris, certisque nuntiis accepimus, pralaudatum Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Fr. Franciscum Serrano Episcopum Tipasitanum, R.R. PP. FF. Joannem de Alcober, Joachimum Royo, & Franciscum Diaz Hispanos, Philippinarum Provinciae Alumnos post diuturni carceris praesuras, & nobilitas, quo longius, certamen, passionis, viteque cursum feliciter consummasse, ac plaudentibus Angelis ad amatissimum Fratris Episcopi Mauricaftrensis complexum evolasse. Universa eorum Martyrii seriem neque aptius, neque luculentius exhiberi posse arbitramur, quam gravissimis, atque amplissimis verbis, quibus eam Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS PAPA XIV. Eminentissimis Patribus in Consistorio Secreto die 24. hujus mensis nuntiavit. Sapientissimi Pontificis Orationem Apostolicam ejus eloquentiae, atque eruditionis incomparabili parem inter preciosiora Familiae nostrae monumenta perenniter adservanda oculis vestris subjicimus.

* S. Cypr. l. 4. Epist. 1.

Illust. D. Fr. Franciscus Serrano, & P. Fr. Joannes de Alcober, filij Regalis Conv. S. Graecis Granat. P. Fr. Franc. Diaz filius Covent. Affigitanni. P. Fr. Joachimus Rojo filius Prov. Aragonie.

Allo-

Allocutio SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV. habita in Consistorio Secreto Feria
secunda die xxiv. Januarii MDCCLII. de pretiosa morte FRANCISCI SERRA-
NI ex Ordine Præd. Episcopi Tipalitan. Vicarii Apostolici Provinciæ Fokiensis
in Regno Sinensi, JOACHIM ROJO, JOANNIS ALCOBER, ET FRANCISCI
DIAZ ejusdem pariter Ordinis Dominicani Sacerdotum.

VENERABILES FRATRES.

* In Allocut.
habita in Con-
sistorio Secreto
die 16. Septem.
1748.

* Ibid.

* Lib. 3. Nostri
Operis de Ca-
nonizatione c.
27. n. 3. & cap.
29. an. 6. ad ult
* S. August.
Epist. 204. n. 4

* Epist. 2. ad
Corinthios c. 6.

Tertius jam annus est ex quo Nos hoc ipso in loco pretiosam mortem * Pe-
tri Martyris Dominicane Familie Mauricastrensis Episcopi, & Apostolici
Provinciæ Fokiensis in Imperio Sinarum Vicarii, vobis exposuimus: Quo quidem
tempore certiores vos etiam facere non prætermisimus, quatuor alios Dominica-
næ ejusdem Familie Religiosos Viros esse, qui in carcere detinebantur, quique
non longè ab eo erant, ut eandem damnationis sententiam subirent, & pro Chris-
tiana Religione vitam amitterent. Ibi autem cum Nos antiquam Ecclesiasticam
loquendi rationem secuti, * illos *Martyres designatos* nominaverimus, nunc mor-
tis eorundem, & feralis executionis atrocis sententiæ nuntio accepto, *Martyres
consummatos* eisdem appellandos judicamus, quo etiam nomine Mauricastrensis
Episcopus à Nobis fuerat appellatus: illud Successoribus nostris integrum refer-
vantes, ut *Martyres vindicatos* illos pronuntiet, postquam probationum exantem
institutum, atque peractum fuerit, & quæ de illorum gestis relata huc transmissa
sunt, à veridicis licet fontibus profecta authenticis documentis fuerint compro-
bata; & postquam Dei Optimi Maximi benignitas signis, ac miraculis manifesta-
re dignata fuerit, quantopere horum Servorum suorum holocaustum Divinæ
Majestati suæ fuerit acceptum: cum Sanctæ huic Apostolicæ Sedi hoc in more po-
situm, & constanti lege firmatum sit, * ut ad veri Martyrii approbationem mi-
nimè procedat, nisi super naturalia signa, atque prodigia pariter accesserint.

Horum, qui nuperrimè pretiosam mortem obierunt, nomina sunt, Francis-
cus Serranus, Joachim Rojo, Joannes Alcober, & Franciscus Diaz. Etsi autem
probrè Nobis compertum illud est, * *Martyrem non facere panam, sed causam*, mi-
nimè tamen plura Nobis hoc loco perseguenda existimamus, ut vobis enarremus,
illud ex iis, quæ huc ad Nos pervenerunt, monumentis colligit, quatuor hosce Sa-
cerdotes necatos Tyranni iussu fuisse, propter inensum animum, quem ipse con-
tra Christianam Fidem gerebat, in cuius prædicatione ipsi Sacerdotes assidua, at-
que indefessa cura se exercebant; atque ab ipsis mortem Christiana æquimita-
te, ac fortitudine exceptam fuisse, ejusdem Sanctæ Religionis causa, cujus asse-
rendæ miro amore flagrabant; cum de hac re ab hinc supra trienium pleribus
Nos egerimus, cum ex hoc ipso loco Mauricastrensis Episcopi mortem vobis an-
nuntiavimus. Persecutio enim, quæ contra pios hosce Sacerdotes desævit, eadem
ipsa est, quæ in Fidei odium contra Mauricastrensem Episcopum excitata fuit; &
tam illius, quam horum causa communis est. Illud hic Nobis adjungendum est,
Religiosos hosce Viros non modo lubenti animo mortem subisse, immanesque
cruciatu, qui à Tyrano ipsi morti additi sunt, tolerasse, verum & ante gravissi-
mis ærumnis, atrocibusque contumeliis in ipso carcere duorum ferè annorum
* *in omnibus
necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in
vigiliis, in jejuniis.*

Nostræ huic allocutioni finem hic ponere propositum Nobis fuerat. Verùm;
cum in percurrentis schedis per viros fide dignos Nobis traditis, atque transmis-
sis, insigniora quædam, ac præcipua deprehenderimus; minimè grave vobis esse
cupimus, si in iisdem exponendis paululum vos etiam detineamus.

P. Franciscus Serranus ætatis annum agebat quinquagesimum secundum, an-
nos autem novendecim in Sancta Sinensi Missione impendemat. P. Joachim Rojo
ætatis erat annorum sex & quinquaginta, quorum tres supra triginta Apostolicum
munus in Sinensi item Missione exercuerat. P. Joannes Alcober annos habebat
quinquaginta-quinque, horum verò duodeviginti in obeunda S. eadem Missione
exegerat. P. Franciscus Diaz tertium supra trigessimum numerabat annum, spa-
tio autem annorum novem Divini verbi Præco ibidem fuerat. De laboribus eorū,
de ferventi asserendæ Christianæ Religionis studio, ipsarumque Missionum fruc-
tu, in Tabularis Congregationis Propagandæ Fidei negotiis præpositæ plurima
exrant monumenta, quorum opportuno tempore erit ut debita ratio habeatur:
quoniam licet pro Martyrio satis sit mors in Christianæ Fidei odium illata; ea-
demque

dem que pro Christi ipsius amore sancte obita, ac tolerata; non inficiandum tamen est diuturnam Christianarum virtutum seriem in antea vita cœtu heroice exercitarum, ad veram Martyrii declarationem permultum conferre.

Neminem autem, nisi Ecclesiasticæ Historiæ admodum imperitum, ignore arbitramur, Tyrannorum morem fuisse, ut enormis cuiuspiam delicti nota Martyres infamarent, ad odium contra ipsos concitandum; ut scilicet illam, quæ inde redundabat, invidiam effugerent; quod propter solum Christianæ Religionis exercitium, ac professionem, eosdem interficiendos mandarent.

Idem etiam in quatuor horum Sacerdotum Martyrio evenisse competimus; eo tamen discrimine, quod, cum alii Tyranni in eorum calumnia obstinate usque perstiterint, eademque fulti mortis sententiam pronuntiaverint; hic contra ethnici Judices, & idolatræ minime veriti sunt Sacerdotes nostros innocentes declarare quoad ea pertinebat, quæ de enormibus vitiis falso ipsis objecta fuerant: quibus rebus Tyranus minime deterritus, & contra Christi Fidem infensior effectus, laqueo eosdem interimendos crudeliter mandavit.

Cum inter sententiam pronuntiationem, ejusdemque executionem, aliquod temporis spatium intercessisset, ex quo Sinenfis Imperator illam suspendi mandaverat; fama non inanis percubuit, & quæ ad priorem usque Sacerdotum, qui in vinculis detinebantur, aures pervenit, fore ut capitalis poena in exilium à Regni finibus commutaretur. Magna autem in hoc nuntio vis merat, ut de eorumdem animo, ac proposito verè dijudicari posset. Nam si ipsi hujusmodi nuntio lætati forent, id quod ammodo minoris roboris, ac fortitudinis iudicium esse potuisset, & cuiusdam affectionis, qua temporali vitæ adhereret; quæ omnia heroicæ Martyris fortitudini opposita sunt: contra verò, si contristati essent, suspicio quædam exoriri inde poterat vanæ cuiusdam gloriæ, quam in morte fortiter oppetenda sibi proposuissent; * qua vana professio gloria Pfendo Martyrum hæreticorum mortes inquinatæ sunt. Verum eorumdem Acta descripta, atque huc transmissa, dum leguntur; heroica in quatuor hisce Religiosis Viris ad Divinam voluntatem conformatio elucescit, paratus æquè ac promptus, sive ad exilium, sive ad mortem animus, prout Divinæ voluntati complacitum foret, cui vitam suam, mortemque pariter consecraverant.

Postremò autem nemo vestrum proculdubio est, cui illa ignota sint, quæ celebri Fischerio Rosensi Episcopo acciderunt. Hic Henrici VIII. Angliæ Regis iussu in angusto carcere cum detineretur, quod legi illi adhibere recusat, quæ Rex supremum se Anglicanæ Ecclesiæ caput constitutor, purpureis eidem Galeris * à Pontifice Paulo III. per idem tempus transmissus fuit. Nos Patrem Franciscum Serranum, jam carere in odium Christianæ Religionis conclusum, datis Apostolicis Litteris, Episcopum Tipasitanum constituimus, & Provinciæ Fokienfis Apostolicum Vicarium designavimus, addita declaratione Goadjutoris cum futura successione in locum Antistitis Mauricæstrensis. Pontifici Paulo III. Rosensis vincula nota erant; ignotum verò Nobis erat, Serranum item vincum teneri. Hoc dumtaxat discriminis inter unum atque alium intercedit. Ceterum utriusque idè finis fuit, cum quemadmodum Cardinalitia insignia nihil aliud Rosensi tribuerunt, nisi ut profundæ humilitatis actum exerceret, & præclarum testimonium acciperet, quanta virtutis illius ratio apud Pontificem esset; sic ex nostris Apostolicis Litteris nihil aliud Serrano tributum est, nisi argumentum, quanti etiam Nos illum merito faceremus; quæ quidem nostra de illo estimatio præclaris humilitatis præcipue testimonii aucta est, & obsequiosæ obedientiæ suæ, quam Nobis per idem tempus exhibuit. Et quemadmodum Cardinalitius Galeris à Paulo III. Rosensi transmissus, vitam illi incolumen minime præstitit, quâ idè paulò post pro Sacta Religione libenter devovit sic neque Episcopalis, ac Vicariatus Apostolici dignitas Serrano à Nobis collata, gloriosæ eundem Martyrii palmæ expertè fecit.

Hæc præcipua sunt, Venerabiles Fratres, quæ de strenuis hisce quatuor Jesu Christi Athletis Vobis exponenda esse censuimus. Ceterum eam Nos questionem in medio relinquendam existimamus, uter duorum Ordinum, Dominicanus, an Franciscanus, primus fuerit, qui Sanctas in Sinenfi Imperio Missiones perageret. Illud quidem certè affirmavimus, ad hæc usque tempora decem ex Dominicana Familia Viros numerari, * qui in Sinenfi Missionem mortem pro Christi Fide per inaudita tormenta oppetierunt; quorum quidem Causæ in Sacrorum Rituum Congregatione alia jam introducæ, alia verò proximæ sunt ut introducantur. Quamobrem, Venerabiles Fratres, quoniam nemini vestrum ignotus est infelix status,

* Lib. 1. citat. Operis de Canonizat. c. 27. n. 2. & cap. 29. n. 1. & 2.
* Lib. 3. ejusdem Operis de Canonizat. cap. 13. n. 7. & seq. & n. 11.

* Citat. l. 3. de Canoniz. c. 20. n. 12. & seq.

* Cit. lib. 3. de Canoniz. cap. 33. n. 8.

* Sex memoratur in citata nostra Allocutione habita die 16. Sept. 1748. S. Vulgata, & Communis. Quatuor alii sunt qui in hac Allocutione recensentur.

status, quo propter atrocēs persecutiones Sancta illa Missio in presens redacta est, restat jam, ut ferventes pro illa conjunctis votis Divina Majestati preces porrigamus, magna spe freti, ut eadem de excelso glorię suę Solio Nobis benigne annuat, quoniam Abrahamo interroganti. * *Quid si inventi ibi fuerint decem?* Respondit: *non debeo propter decem.*

- * Gen. cap. 18.
- * Ezech. 42.
- * Hebr. 11.
- * Rom. 8.

Jam verò intelligitis Fratres quas divina erga Nos largitati gratias debeamus, quod ex Dominicanis alumnis hac etiam gr̃ate suscitaverit, atque elegerit sibi * homines divites in virtute, dominantes in Potestatibus, nuntiantes in Prophetis, fortes in bello, contemptores vitę, mortis triumphatores, quos * ludibria, & verbera expertos, insuper & vincula, & carceres, * nec tribulatio, & angustia, nec fames, ac nuditas, nec persecutio, nec gladius separare potuerunt a charitate Dei, sed in omnibus superaverunt propter eum, qui dilexit Nos: Est profectò, cur iis, cur Nobis ipsis gratulemur, quod illorum nomina jam in caelis desuper novum, æternumque decus factis intulerint, ac nova adjecerint Nobis incitamenta virtutis. Quis enim præclaris adeo non exerceatur triumphis, & quasi ad mortis stimulis sese impellere non sentiat ad eam incendam Apostolicam viam, quam suo sanguine impressam gloriosissimi Fratres signaverunt? Nonne cor nostrum, dum hæc audimus, ardet in Nobis, ut Eidei zelo succensum, * eamus & Nos, & moriamur cum illis? Hæc sunt, dilectissimi, Apostolicorum hominum vota, hæc eorum merces magnanimis: hæc Infituti, quod profitemur gloria Majoribus nostris parta, ab Æqualibus aucta, ac novissime ad emulandum Nobis proposita. Ergo * non efficiamur segnes, sed imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditaverunt promissiones. Ad propositum Nobis certamen curramus * affumentes galeam salutis, & gladium spiritus, succincti lumbos in veritate, induti loriam justitię, & calcate pedes in preparationem Evangelii patris.

- * Joan. c. 11.
- * Hebr. 6.
- * Ephes. 6.
- * V. Bed. serm. 1. de SS.
- * S. Cypr. de Moralitate.
- * Hebr. c. 22.
- * S. Leo M. ser. 67. cap. 5.

Quod si fortissimos Christi Athletas per vincula, & mortem sequi non possumus, eorum saltem sectatores sumus in fide, & charitate, in scientia, & longanimitate, * servantes in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, in defendenda veritate constantiam, in disciplina severitatem, ne aliquid ad recte factorum exemplum desit in Nobis, sed luceat lux nostra coram hominibus, & glorificent Patrem nostrum, qui in Caelis est. Hec sunt enim vestigia, quæ illi revertentes in Patriam Nobis reliquerunt, ut illorum semitis inherentes sequeremur, & in gaudia. Ad ea Nos amantissime invitant, ibi Nos cupidissime expectant * jam de sua immortalitate securi, & adhuc de nostra incolumitate solliciti. Ad eorum conspectum, & complexum venire quanta & illis, & nobis in commune erit lætitia! Remissa itaque manus, & soluta genua erigamus, tantaque expectatione mercedis forti animo sumus alacriter subeuntes * momentaneum, & leve tribulationis nostrę, quæ æternam glorię pondus operabitur in Nobis. * *Si compatimur & coregnabimus: quod premium non ipsis tantum paratum est, qui pro nomine Domini impiorum scilicet sunt perempti, quoniam universis Deo servolentibus sicut in Christo est crucifixa, ita in Christo est coronanda.* Valete, nostri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & precationibus vestris. Romæ ex nostris Adibus Minervitanis die 31. Januarii 1752. Loco * Sigilli. Fr. Antoninus Bremond Magister Ordinis. Registrat. fol. 1. Fr. Joannes Thomas de Baxadors Magister Provincialis Terrę Sanctę, & Socius.

Concordat cum originali, &c.

Fr. Franciscus Serrano.